



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas

Alpen, Johann von

Coesfeldiae, 1694

2. Comitia turbulenta. Stimulante Flodorpio Comite.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)

1657.

vis controversias ad juris decisionem rejecisset pactio *Geistana*, quod tamen eventus æquè incertus, ac longioris moræ, simulque operosus esset, ipse curarum, laborumque pertæsus, quam passim etiam suggererent amiciores, utiliore patriæ quietem faciliè præhabebat. Sed hanc Monasteriensibus sortem fata invidisse, testis est secuta Metamorphosis, non sine continuo & ingenti luctu posterorum.

1658.

2.

*Comitia
turbu-
lenta.*

Enimvero statim Comitia, quæ sub ineuntem jam annum seculi quinquagesimum octavum Monasterij agebantur, omnino turbulenta erant. *Civem* agitabant obviæ ex incendiis & obsidione nuperâ jacturæ, quas nec premi sinebant perforata passim ædium profanarum, sacrarumque tecta. *Ordo Nobilis* fœderum pactiones, externi inductionem militis, rusticos in arma coactos, nova patriæ onera, insciis se, privilegiorum violationem explicabat. Adhæc nullam esse alendæ in patria militiæ necessitatem, & si quæ esset, ejus & periculi cognitionem ex decreto Cæsaris ad Ordines unâ pertinere. Et quoniam id intendebant plerique, ut Principem potestate pangendi fœderis exuerent, militiæque omni nudatum ab ausis hujusmodi in posterum coërcerent, partium fervor vix discrepabat à conjuratione manifestâ. Sed & quo major esset sua cuique sensa promendi

mendi libertas, è suo Satrapas gremio
excludi oportere Nobilitas ajebat, quos ju-
risjurandi Religione obstrictos, quære-
re potissimum commoda Principis palam
esset.

Hanc sedulò partem fovebat, stimu- *Stimu-*
labátque *Flodorpheus* Comes. Is mense *lante*
Octobri in pago *Darvelt*, ubi Castrum à *Flodor-*
Vuerdenis emptum habitabat, equitem *pio Co-*
prætorix cohortis, isthic jussa Principis *mite.*
exequentem, pilâ trajectum enecârat. Indè
domi hæud tutus, Monasterium confu-
giens, Tribui & albo Institorum inscribi
se facit, urbanæ militiæ nomen dat, & cen-
turiæ præfectus, receptusque in tutelam
Civitatis, magnâ, quod apud Batavos va-
lere crederetur, populum lactabat spe futu-
ri. Nec vana omnis fuit; quando Resp.
ipso cum primis authore, res Monasterien-
sium sibi curæ ac cordi magis fore postea
declaravit. Jam verò tametli plerique mi-
rabantur, imò & nonnulli exprobrabant, à
juvene tam generoso & equestrem Ordi-
nem, cui annumerabatur, & avitum *Flo-*
dorpiorum stemma isto maculari dehone-
stamento, hæud tamen omisit propterea
occasionem sui apud plebem propius insi-
nuandi, & rei in hisce Comitibus apud No-
bilitatem pariter agenda.

Benignis interea alloquiis, favoribus, *3.*
gratiis Princeps Monasterienses prosequere- *Princeps*
batur, *frustra*